1638

117

EPISCOPORUM ET CLERI
In Incluto regno Sveciæ

CENSURA

De
Instituto & actionibus
Dn. JOHANNIS DURÆI Ecclesiastæ Scoto-Britanni, in oblato nobis pacis & concordiæ Ecclesiasticæ,

Inter Nos & Reformatos Calvinianos conciliandæ

Studio,

Ad meliorem Lectoris, in iis quæ de hoc argumento evulgaverat ipse DURÆUS, informationem,

Facta in conventu comitiali, qui Stockholmiæ habitus est in mense Februario, Anno
O. R. 1638.

Zach. 8, 16.

VERITATEM & judicium PACIS judicate in portis vestris.



1. Ioh. 4. 1.

Charißimi, nolite cuivis ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint.

2. Joh. v. 10.

Si quis adveniens ad vos non habeat doctrinam hanc, ne recipiatis illum in domos veſtras, Et ne AVE dicatis illi.

Jerem. 51. 9.

Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata.

Archiepiſcopus, Epiſcopi, Superintendentes, Profeſſores, Præpoſiti & Paſtores in Inclyto regno Sveciæ, pro tempore in Comitijs Stockholmenſibus congregati, Candido & benevolo Lectori, Gratiam & pacem per Dominum & Salvatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, cum debitâ honoris Præfatione, officiorumq; noſtrorum promptitudine precamur, &c.

NOn dubitamus, Candide & amice Lector, quin multis innotuerit adveniſſe in patriã noſtram chariſſimam, ante annũ & quod excurrit, Ecclesiaſten quendã Scoto-Britannũ, cui nomẽ JOHANNES DURÆUS, eumq; hoc potiſſimũ habuiſſe negocij, ut Conciliato inter nos, qui doctrinã verè Evangelicam profitemur, & ab ejusdem Reformatore D: Luthero Lutherani vulgò appellamur, & Reformatos, ut vocari volunt, Calvinianos religionis Syncretismo, ad concordiam & ſpiritualẽ fraternitatem præparatoria quædam tentaret, nosq; ad eandem acceptandam & conſilijs noſtris promovendam ſollicitaret. Quod ſuum propoſitum, impetratâ primùm ab Illuſtriſſimo Regni Cancellario, Domino noſtro gratioſo, veniâ & ad nos commendatione, etiam depoſuerat, partim in particularib⁹ quibusdã Regni Collegijs, Ubſalienſi Strengnenſi & Aroſienſi, quorum ſingula præfatum Dn: DURÆUM ſuperiori anno aliquoties præſentem viderunt, negocium ſuum exponentem audiverunt, rem pro ſuo pondere & momento conſiderarunt, ſuamq; de hujus unionis Eccleſiaſticæ oblatione mentem & conſilia ſcriptis communicarunt, uti agnoſcit Exordium & Narratio

 Dn.

Dn. Duræus in ſcripto quodam evulgato *pag. A. 2. fac. 2:* partim in conventu noſtro noviſſimo, quem hic negotiorum publicorum causâ præterlapſâ æſtate celebravimus, ubi in Conſiſtorio, de propoſito nobis pacis & concordiæ Eccleſiaſticæ ſtudio, cum Dn. DURÆO collegialiter & univerſim fuit actum: Idq; præmiſſis pijs precibus, & ſeriâ Dei invocatione, pro felici negocii ſucceſſu, habitoq; inter nos colloquio, ſeſſionib⁹ diſtinctis duabus, eiq; tandē, prout tēporis & argumenti ratio ferre videbatur, reſponſum. Quanquam igitur quid de arduo hoc negocio ſentiamus, ita ſufficienter putabamus eſſe declaratum; Quia tamen & mora Dn. DURÆI, in hiſce terrarum oris opinione noſtrâ diuturnior, & exhibitæ nobis ante dies aliquot, quædā ejus pagellæ typis evulgatæ, eorum quæ hactenus inter nos tractata ſunt, ſumma capita arbitrariâ fide, uti videmus, conſarcinata continentes, cum præmiſſâ iisdem ad nos epiſtolâ, manifeſtum nobis faciunt, vel non videri illi â nobis adhuc eſſe ſatisfactum, vel commune ſine dubio ab univerſo noſtro ordine, de re propoſitâ reſponſum, ſcripto comprehenſum ſuisq; paraſtatis communicandum ulterius exſpectari, uti ſubinnuit *in Conſignat. ſumm. capp: pag. B. 2. fa. 2.* Ideoq; ne ullâ in re promovendæ Chriſtianæ concordiæ, ipſiq; Dn: Duræo deeſſe videamur, operæ precium noſtræq; humanitatis eſſe duximus, hac etiam vice illi nos accommodare, noſtramq; mentem denuò declarare: Præcipuè quandoquidem, ſicut Dn: Duræus *ſparſos* de actis inter nos *malevolorum rumores, vel operi ſuo ſanctiſſimo,* ut ſcribit, *nocituros,* vel *nomini injurioſos fore* ſubveretur, in *Declarat: Legitimationis ſuæ pag. A. 1. fac. 2.* Ita noſtra non minus interſit præcavere, ne ſimpliciores & incauti, evulgatis ipſius pagellis in præjudicia & ſiniſtras de actibus noſtris opiniones rapiantur. Non autē ſingula quæ Dn. DURÆUS de hoc argumento nobis obtulerat, cùm manu ſcripta, quorum multi faſciculi in Conſiſtoriorum particula-

rium

tium Archivis reservantur, & in præsentiâ ad manus esse non potuerunt; tum hîc typis expressa omniumq; conspectui subjecta repetemus; Sed de primariis saltem quæstionis nostræ capitibus Candidum Lectorem informabimus. Quod & faciemus hisce sequentibus, illud ipsum quod antea respondimus, plenius & planius fortassis effecturi. Propositio in qua:

I. Et primò quidem, etiamsi Dn. DURÆUS nullam adhuc nobis ad tanti momenti negocium vocationem, aut nobiscum tractandi plenipotentiam commonstraverat, nosq; propterea illud ipsum partim ex propriâ quâdam animi devotione & pacis desiderio, partim etiam svasu & approbatione aliorum quorundam in patriâ suâ, alijsq; regionibus nonuullis Theologorum, eoq; similiter particulari & privato, profectum esse videntes, ejusdem quo nobis offertur momenti æstimare potuissemus: Præsertim cum nos de nullo penitus articulo religionis nostræ dubitemus, in eorundem Orthodoxiâ, per Dei gratiam, usq; ad extremum vitæ halitum perseveraturi, nec ullum in hisce diffidium per totam nostram patriam ejusmodi aliquâ pacificatoris operâ, quod sciamus, indigeat; viso tamen ac considerato, pium esse ejus propositum, & ad tollenda aliquando impia illa & scandalosa inter Evangelicos diffidia, sedandas Theologorum altercationes, & conciliandam auream & jucundam in Christo fraternitatem, Psal: 133. v. 1. collimare: nec non cum nomine Serenissimæ nostræ Reginæ, placuerit Illustrissimis Regni Administratoribus, Dominis nostris Clementibus, illum ad communicanda nobiscum præconcepta pacis consilia, placidamq; sententiarum collationem, nostro Collegio commendare: Non debuit utiq; nec potuit laudabile hoc institutum nobis ex animo non placere: Præsertim cum nobis etiam semper in votis fuerat, ut Deus aliquando, qui est Deus pacis, 1. Cor. 14. 33. 2. Cor. 13. 11. Et ipse pater luminum Iacob. 1. 17. â nobis dissentien- I. Ipsius operis commendatio.

 tes non

tes non tantum Reformatos, ſed & omnes alios ad ſaniórem mentem & linguam ſinceriorem velit revocare, quò unum nobiſcum ſentiant ſecundum Ieſum Chriſtum, ut unanimes uno ore hororificemus Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, Rom. 15.5.&6. Et unum nobiſcum loquantur, nec inter nos ſint ſchismata; ſed ut perfecti ſimus in eodem ſenſu, unâq; ſententiâ, 1. Cor. 1.10. Similiter affecti, ſimilemq; charitatem habentes, unânimes, idipſum ſentientes, nihilq; fiat cum contentione & inani glóriâ, Phil: 2:2.3. In eo quod jam apprehendimus, ambulantes ſecundum eandem regulam, Phil. 3: 16. Et ut verè de nobis pronunciari aliquandò poſſit aureum illud Chriſtianæ fraternitatis elogium, quod membra ſimus unius corporis Rom. 12. 5. 1. Cor. 12.12. quæ unum ſit corpus & unus ſpiritus, ſicuti etiam vocati ſumus in unâ ſpe vocationis noſtræ, unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui eſt ſupra nos omnes, per nos omnes, & in nobis omnibus, Eph: 4.3. Hoc præſertim ultimo miſereq; vexato ſeculo, quo magis fortè opus eſſet, ut conſtituto primùm in fide & religione conſenſu, conjunctisq; fraternitatis dextris, ſub uno profeſſionis Evangelicæ vexillo, dimicare poſſemus adverſus ſæviſſimum illum Evangelici fœderis hoſtem, utpote cujus vires jam multis annorum decurſibus, in veræ Eccleſiæ perſecutione, urbium & provinciarũ depopulationibus, horrendis Chriſtianorum cædibus, facultatum & bonorum direptionibus & rapinis accreſcere; noſtras ë contra, per mutuam Evangelicorum in fide & religione diſcordiam, non leviter infringi & labefactari facilè videmus.

II. Vnionis Eccleſiaſticæ fundamenta & conditiones.

II. Cum autem inter nos & Reformatos Calvinianos pax & fraternitas pura, ſincera, ſtabilis & infucata non optari quidem, nedum ſperari poſſit aut debeat, niſi poſitis primùm ejus fundamentis & conditionibus, notum ſit candido Lectori, unionis conſtituendæ media & conditiones â Venerandâ fa-

dâ facultate Theologicâ in Academia Ubſalienſi Dn. DURÆO propoſitas, eaſdemq; ferè omnes vel pleraſq; in inferioribus Collegijs Strengnenſi & Aroſienſi repetitas, nec non in Colloquio noſtro noviſſimo Holmiæ habito ſæpius ingeminatas fuiſſe. Quas conditiones cum & ipſe æquas, & paci conſtituendæ commodas, *optimas & ſufficientiſſimas*, imò & neceſſarias eſſe nobiſcum agnoverit, & ſcripto ſuo publico inſerendas eſſe judicaverit *pag. A. fac. 2. Item pag. B. 2. fac. 1.* Nos etiam hoc noſtrum utriusq; judicio adhuc dum inhæremus, prædictaſq; pacis conditiones hic denuò repetimus, & candido Lectori cognoſcendas proponimus, Nempè ut ſit inter nos & Reformatos Calvinianos:

1. *Conſenſus in Omnibus fidei articulis fundamentalibus, nullo excepto.* 1.
2. *Abolitio omnium errorum propugnatorum, qui vel fundamenta deſtruunt, vel ad ea convellenda diriguntur.* 2.
3. *Tolerantia in Ceremonialibus & adjaphoris, juxta Scripturas.* 3.
4. *Integritas & candor unitarum partium, ne quis ambiguis locutionibus veteres errores occultet.* 4.
5. *Ne quis pace conſtitutâ, errores vel defendere, vel excuſare, vel ſpargere ulterius tentet.* 5.
6. *Temperantia ab ambitioſis & non neceſſarijs Diſputationibus.* 6.
7. *Contumeliarum & injuriarum* ἀμνηστία. 7.
8. *Miniſterij & gubernationis Eccleſiaſticæ ad normam Apoſtolicam conſtitutio.* 8.

Quæ omnia concordiæ & unionis fundamenta pars utraq;, ſine omni dubio, ita ſolida eſſe confitebitur, ut certum omninò & perſvaſum utrinq; habeamus, non poſſe nos unquam, ſublato horum unò vel altero, ſtante inprimis & durante fundamentali inter nos religionis diſſenſu, in ſolidam aliquam fraternitatem conſpirare. Cumq; ad ſancien-

ciendam aliquam in ipsis fundamentis ὁμοψηφίαν requiratur omninò commune aliquod confessionis Symbolum, quod sit mutui consensus norma & γνώρισμα indubitatum; Nos verò ab Augustanâ Confessione nunquam sumus recessuri, vel aliam quamcunq; â Reformatis nobis præscribendam, pro illâ recepturi: adjecta fuit etiam â nobis in colloquio nostro Stockholmensi, hæc conditio nona & ultima, quod scilicet velimus Reformatos hoc Ecclesiæ γνησίως
9. Evangelicæ Symbolum candidè & sincerè nobiscum acceptare, si aliqua inter nos sperari debeat unio.

Intelligimus a. Augustanam Confessionem, non spuriam illam & adulteratam, quæ decennio post Comitia Augustana, Vitebergæ inter privatos parietes consarcinata fuit, & Calvinismo haud obscurè patrocinatur, ac propterea neq; â B. Luthero neq; â Protestantibus approbata aut confirmata fuit: Sed primam illam genuinam & invariatam, ipsi Imperatori Calolo V. in comitijs exhibitam: Neq; Augustanam Confessionem quoad generalia tantum, aut sensu quocumq;, sed etiam quoad specialia sensûq; Orthodoxo in ejusdem Apologiâ & Formulâ Concordiæ explicatam & intellectam.

III. Ejusdem impedimẽta & Remoræ.

III. Jam a. præsuppositis hisce Concordiæ conditionibus, quo minus ejusmodi, aliquam cum Reformatis unionẽ sperare potuerimus hactenus, hæc imprimis sequentia obstiterunt, quæ etiam D. DURÆO in discursu nostro mutuo sæpius fuerunt objecta, videliscet:

1. 1. Reformatorum Calvinianorum in articulis Fundamentalib⁹ plerisq; ab Orthodoxiâ dissensio, cujusmodi sunt articuli de Deo ejusq; concursu cum peccato & actionibus malis: De Dei præscientia, An scilicet illa inferat peccato & actionibus humanis necessitatem: De Christo, ejusq; secundum humanam naturam omnipræsentiâ, cum alijs idiomatis & proprietatibus divinis carni assumptæ realiter communi-

municatis: De universali Christi merito: De æterno prædestinationis decreto: De Sacramentorum natura & efficacia non σχετικῇ tantum & Relativâ sed verè μεταδοτικῇ & Exhibitivâ: De Corporis & sangvinis Christi in Sacra Cœna vera reali & Orali manducatione & bibitione: Et si qui sint alij vel fundamentales vel minus fundamentales, in quibus Reformati hactenus à nobis secessum fecerunt. Id quod probatu nobis haud erit difficile, ex scriptis Zvinglij, Calvini, Bezę, Zanchij, Sadeelis, Parei, Ursini, Martyris, Piscatoris & aliorū, quos cū hactenus tanquā suæ religionis Antesignanos Reformati Calviniani coluerint, nō potuimus utique nos aliundè quàm ex ijsdē etiā, de totius Sectæ doctrina judicare

Quanquam autem fortè non ibimus inficias, recentiores quosdam manifestâ veritatis luce convictos, in quibusdam fecisse divortium a prædecessorum suorum opinionibus, qui hoc nomine etiam Reformatorum titulo gaudere cupiunt: Animadvertimus tamen, quod pace Dn. DURÆI ejusq; Collegarum dixerimus, stylum & linguam ita informari, qui in generalibus quidem fundamentalem nobiscum consensum præ se ferat; ad specialiora autem ubi fuerit perventum, qui vel subtilibus humani ingenij speculationibus, vel contortis axiomatum & regularum philosophicarum applicationibus, ipsum tamen fundamentum convellere & labefactare, vel phrasium & locutionum ambiguitatibus sensum genuinum & Orthodoxum obscurare & pervertere, adeoq; veterem errorum crambem nobis apponere velle videatur. *Uberiorem hujus rei demonstrationem inveniet Lector in Tractatu Theologico, de Fundamentali dissensu, &c. D. Doct. Nicolai Hunii*

2. Quod hæc Unio, inter Nos & Reformatos Calvinianos, antea fuerit tentata per varia Irenica, & utriusq; religionis Syncretismos, A Pareo inprimis, Professore Heidelbergensi, sed conatu planè irrito & frustraneo, obstantibus ijsdem, quæ necdum remota videntur, unionis impedimentis, 2.

 id quod

id quod ad oculum ferè demonſtrarunt noſtrarum partium Theologi, D. Georgius Mylius D. Leonhardus Hütterus, D. Philippus Nicolai Paſtor Hamburgenſis, & D. Johannes Sigvardi Tubingenſis, qui omnes invictis planè rationibus & mutuò quaſi communicatis argumentis oſtenderunt, quod pax â Calvinianis nobis oblata, ejusq; conſtituendæ media non poſſint, ſine glariæ Dei, Cœleſtis veritatis & bonæ conſcientiæ jacturâ & irreparabili diſpendio, nec non innumerabilium Chriſtianorum inevitabili ſcandalo, â nobis acceptari: Non admiſſo propiori acceſſu ad veritatem quorundam articulorum fundamentaliũ, in S. Scriptura clarè expreſſam. Qvæ omnia etiam hodierno die tam diu Unionis inter Nos fœdera ſuſpendent, donec errores qui ad fundamentales fidei articulos convellendos diriguntur, non videmus ſeriò eſſe abjectos.

3. 3. Accedit Reformatorum Calvinianorum inter ſe invicem diſſenſio, quos in diverſas de præmiſſis articulis abiviſſe ſententias, & res ipſa loquitur, & Dn. DURÆUS in Colloquio noſtro non potuit diffiteri. Unde evidenter ſequitur, quod ſi vel maximè cum quibusdam, in fraternam aliquam concordiam coire poſſemus: Illam tamen nunquam fieri poſſe univerſalem aut durabilem. Qvæ res efficeret, ut poſteriora fierent pejora primis.

4. 4. Plures pacis conciliandæ Remoras hic non commemoramus, quas qui ſcire cupiet, conſulat Irenicum D.D. Hutteri Cap. 2.

IV. Ad conſilia Duræi Reſponſio.

IV. Propoſuerat etjam nobis Dn. DURÆUS quædam Unionis ineundę media, ſive conſilia partī alibi ſingulis, partī primo noſtro Conventu Stockholmenſi univerſis quæ hic etiam duximus eſſe commemoranda, ut quid de illis, ſit ſentiendum, æquâs Lector nobiſcum poſſit judicare.

1. 1. Poſtulantibus nobis generalem aliquam Reformatorum Confeſſionem, quæ cùm noſtra illa Auguſtanâ con-

feſſione, in fundamentis omnibus eſſet conformis, profere- bat quidem Dn. DURÆUS Harmoniam quandam Confeſſionum Eccleſiarum, in Helvetiâ, Belgio, Palatinatu, Anglia, nî fallimur, & alibi ubi inter Reformatos ſeſe profitentur: Sed quæ non inter ſeſe, multò minus cum Noſtrâ conſentiebant.

2. Putabat edendam fore â Reformatis Calvinianis aliquam Confeſſionem fundamentalem, quæ eorum nobiſcum conſenſum dilucidè exprimeret, poſtulatisq; pacis conditionibus ſit ſatisfactura. Sed quomodo de illâ concordiæ normâ poterimus ferre judicium, quam ad huc non vidimus, nec brevi temporis ſpatio fortè erimus viſuri? Quod ſi autem talis aliqua exhibebitur, æquum feremus, & conforme divinæ veritati de illâ judicium. 2.

3. Judicabat tollendis inter Nos diſſidijs, & conſtituendæ Concordiæ, utile & neceſſarium fore conſilium vel ſynodum aliquam generalẽ, in quâ conveniant utriusq; partis Theologi, non tam ad diſputandum de articulis, quàm ad componendas controverſias, & excogitanda communi deliberatione pacis ſtabiliendæ media. Sed ut omittamus, quod hoc conſilium multa ſupponat, quæ tamen adhuc non ſunt conceſſa: Ut etiam non commemoremus infinitas ferè & ineluctabiles difficultates, quæ circa talis Concilij, tot tamq; diverſorũ ex Sveciâ, Daniâ, Poloniâ, Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, Helvetiâ, &c. Theologorum convocationem, legitimæ ejusdem formæ conſtitutionem, obſtaculorum & præjudiciorum, quæ deliberantium animos plerumq; ſolent occupare remotionem, incidere poſſent: Saltem veſtigia ſynodi Dordrechtanæ contueamur, quæ diligentius inſpecta, noſtræ partis Theologos etiamſi âd eam rem propenſiores, â cogitatione tamen illâ de ſynodo, & veritate per eam vindicandâ & aſſerendâ, abſterrere omnino poſſunt. Quâ enim ſinceritate & libertate inveſtigandæ & aſſeren- 3.

dæ veritatis, iſta ſynodus ſuperioribus annis, non cum noſtris Theologis, ſed inter ipſos Remonſtrantes, uti vocant, & contra-Remonſtrantes, habita ſit, ipſemet ſynodi proceſſus quoslibet cordatos & rectè ſentientes ipſiusq; Concilij hiſtoriam & acta ſine præjudicio perlegentes ſufficienter informabit. Qvid etiam effectum ſit in privato ſaltem Colloquio, quod nuperrimè habuerunt pauci utriusq; partis Theologi Lipſiæ Anno 1631.: Quæ incommoda conſequentia creaverit: quas turbas & ſuſpiciones moverit: quos rumores inter malevolos ſparſerit contra noſtras Eccleſias orthodoxas: Quomodo etiam poſt habitum illud Colloqvium ante victoriam, ut dicitur, triumphum cecinerint Reformati, ex relatione cujusdam in Germaniâ Theologi, qui & ipſe huic Colloquio interfuerat, cognovimus. Quæ ſit etiam ejusdem ſententia, de negocio pacificationis â Dn. DURÆO inſtitutæ: quid præterea arbitretur de Syncretiſmo hoc Calviniſtico; de præconceptis nobisq; oblatis concordiæ obtinendæ Conſilijs, tum aliorum ex Reformatis, tum trium Venerabilium in Eccleſia Anglicanâ Epiſcoporum, quorum nomine & authoritate, ut videri vult, Legatione ſua fungitur Dn. DURÆUS, de ſuo nobis largitus eſt hiſce diebus præfatus Theologus, in tractatu ſuo Germanico, cui titulus Unvermeidentliche Rettung gethaner gewiſſens frage / Impreſſo Lipſiæ Anno 1635. Cap. 18 pag. 315. Cap. 22. pag. 345. Cap. 26. 27. & 28. pag. 377. & ſequentibus. Quò etiam Dn: DURÆUM & alios harum rerum ignaros remiſſos eſſe volumus.

Porrò ad exemplum Unionis inter fratres Evangelicos, Sendomiriæ in Poloniâ conſtitutæ, ſæpius provocare videbatur DURÆUS, in quâ tres illæ diſtinctæ Sectæ, quæ partim Auguſtanam, partim fratrum Bohemicorum partim Helvetiorum Confeſſionem ſequebantur, non obſtante aliquali diſſenſione, in mutuum conſenſum coaluerunt Annò

1570.

1570. Quod si autem in ullâ re locum habebit Regula illa vulgaris: Non *Exemplis* videlicet, sed *legibus* esse judicandum, tum in hôc pacis Ecclesiasticæ negocio vel maximi erit momenti. Non enim hic tam quæritur de *Facto*; An scilicet talis Syncretismus sive consensus unquam fuerit initus, id quod non Sendomiriæ tantùm, sed & in Helvetiâ, in Sabaudiâ alijsq; locis, factum esse non diffitemur; quàm de *Jure*, hoc est, An tales Syncretismi ad normam verbi divini congruāt. Certè quod religionis mixtura Deo non possit usque adeò placere, ex sacris literis haud difficulter potest demonstrari. Versatur etiam hujus exempli applicatio inter talia regna, quæ religionis diversate, incolarū moribus, Regiminis Ecclesiastici formâ, legibusq; & statutis regnorum fundamentalibus sunt quam maximè dissimilia. Adde quod, cum religionum diversitas sæpè etiam integris regnis ac Rebuspublicis soleat esse exitialis & detrimentosa, fit non raro, ut incolæ, ad tollenda intestina bella, diversas religiones vel qualitercunq; saltem conciliare cogantur. Id quod in nostrâ patriâ, laus Deo, non metuimus, ex provisione laudatissimi Regis Caroli Noni, qui in Concilio Ubsaliensi An. 1593, Omnes regni Ordines ad Augustanam Confessionē genuinam & invariatā, Interposito etiam sacri juramenti fœdere, ita devinxit, ut postea non tantum subditis, sed & successuris Regibus, in æternum nefas factū sit, ab illâ facere digressum.

Consensum ipsum Sendomiriensē quod attinet, quanquā de alienis nobis inviti sumimus judiciū; illum tamen si â præsenti quæstione alienum esse statuamus, nihil opinamur nos â rei veritate aut synodi istius actibus alienum dicturos. Etenim quod consensus iste non ab omnibus Ordinibus, sed â solis ferè Calvinianis fuerit conflatus, receptus & approbatus, quod Augustanæ Confessionis γνησίως sic dictæ socii Doctores & Ecclesiæ, eidem contradixerint, vel si qui eorum in ipsâ Syndodo Calvinianis consensum Unionis præ-

 bue

123

buerunt, non tamen Augustanam Confessionem primam illam & invariatam, sed mutatam & variis erroribus conspurcatam, ipsiq; Zvinglianismo accommodatam amplexi sint: Quod Synodus Vilnensis Octennio post celebrata, in Sendomiriensi errores benè multos notaverit, eamq; propterea exauctoraverit, uberius posset demonstrari, nisi res forte quibusdam futura esset odiosa. Hanc autem historiam si Lector benevolus ipse cognoscere velit, haud gravatim consulat Irenicum Christianum D: Doctoris HUTTERI Irenico D. Davidis Parei oppositum Cap. 17. & Cap. 22.

4. 4. Promittebat etiam DURÆUS, ostensurum se nobis modum aliquem novum & transmarinum resolvendi textus Biblicos, qui quæstionem quamcunq; dubiam ex præmissis & concessis, apodictice etiam explicaret, verumq; & genuinum ejus sensum ita erueret, ut illum non possent non singuli, etiam in diversis regionibus constituti approbare. Eamq; Analysin appellat *Demonstrativam, & modum rectum* fore existimat *Confessionis fundamentalis dogmata applicandi ad alia quoq;, de quibus dubitatur, decidenda, in* Consignat. summ. capp: *pag. B. 2. fac.* 1. Cujus rei specimen, petito primùm & impetrato ejusdem adornandi spatio, exhibuit nobis altero die in resolutione harum duarum, ex verbis Cœnæ propositionum: *hoc est corpus meū, hic est sanguis meus.* Sed hæc analysis ita fuit comparata, ut pene puerilis, ne quid durius dicamus, & tantæ existimationis authore planè indigna videri posset.

5. 5. Præter hæc etiam alia quædam inter colloquendū in conventu nostro inciderunt: Ut pote quod de numero articulorum fundamentalium, adhuc esse incertum, & primùm qui articuli pro Fundamentalibus habendi, qui vero non habendi sint nunc primum inter Nos definiendum esse judicaverit DURÆUS: Quod propositas à nobis quæstiones ex Symbolo Apostolico, de universali Dei misericordiâ erga omnes homines, quam huc usq; negarunt, & ad so-

los

los electos restrinxerunt Calviniani: De ejusdem Omnipotentiâ, ex quâ etiã sequitur, Deum posse efficere, ut Corpus Christi possit esse in pluribus locis simul & semel, salvis tamen naturalibus corporis proprietatibus: De præsentiâ corporis & Sangvinis Christi in Cœna, eorumq; verâ & reali, hoc est quæ fit instrumento oris, manducatione & bibitione, putaverit *non esse de articulorum Fundamento, sed ad modum saltem eorundem pertinere, Ideoq; unionem in reipsâ non impedire.* Qvod propterea *hujusmodi inter Nos disputationibus in promovendo studio concordiæ sit super sedendum*: Qvod, quæ de his ce & similibus controversiis scripserunt ZVINGLIUS, CALVINUS, BEZA, PISCATOR, ZANCHIUS, SADEEL, PAREUS & alii, velit esse saltem *opiniones quorundam privatas*; Cum tamen Reformati Calviniani non tantum nunquam eorum errores damnaverint; Sed etiam potissima pars eorum, aliis ejusdem religionis sociis propriisque suis collegis, Theologis Anglicanis Hassiacis & Bremensibus, qui duriores quasdam phrases Reformatorum corrigendas esse salutariter monuerunt, apertè contradixerint, in Synodo Dordrechtanâ, ut testantur acta ejusdem Synodi pag. 338. Qvod Reformati & Symbolum Apostolicum & Augustanam Confessionem, quoad omnes articulos, nobiscum amplectantur; Sed, uti percepimus, in generalibus tantum, reservatâ interim sibi licentiâ specialiter quædam explicandi, SUOq; MODO Intelligendi.

Quem inteligendi modum etiam, detracto quasi simulatæ sinceritatis pallio, in apricum produxerunt, & ad normam indubitatæ veritatis, in verbo Dei expressam examinaverunt, tum antiquiores nunc in Domino defuncti nostræ partis Theologi, D. Georgius Mylius, D. David Lobechius, D. Johannes Olearius, & D. Baltzazar Mentzerus, in variis libellis Exegeticis, Commentariis & Disputationibus, in

Augu-

Auguſtanam Confeſſionẽ, & in primis D. LEONH. HUTTERUS in Irenico ſuo Chriſtiano, Cap. 25. 26. & 28. Idq; collatis ſincerè & ſine præjudicio Theologorum adverſæ partis ſententiis, cũ ipſis verbis invariatæ Confeſſionis. Unde etiam, quid differat aurum â ſcoriâ, æquus Lector nobis tacentibus, & actum agere nolentibus, facile deprehendet. Ad quorum pias & Orthodoxas in Auguſtanam Confeſſionem meditationes, nos adhuc provocamus, easq; pro Noſtris conſtanter retinemus: Qvod etiam DURÆUS de quibusdam inter nos controverſiis interrogatus, piè quidẽ devotè & orthodoxè reſpondere videbatur: Sicut etiam ſe ipſum quidem *ab illâ fidei veritate, quæ in Auguſtanâ Confeſſione continetur, nunquam alienum, ſed illi penitus addictum eſſe profitetur in Declarat: Legitimationis ſuæ pag. A. 3. fac. 1:* Sed hanc ſinceritatem vel aliud quidpiam pro ſuis Collegis, etiam illis, qvorum ſvaſu hanc provinciam in ſe ſuſceperat, promittendi aut præjudicandi, dixerat *Se non habere poteſtatem.*

V. Actionis cum Duræo concluſio.

V. Hæc igitur & ſimilia quæ colloquentibus ſubinde incidebant, cum in ſe talia ſint, quæ in ipſa Fundamenta, in primo quaſi limine impingebant, unde emergeret inter Nos gravior Controverſia, quàm quæ brevi aliquo temporis ſpatio finiri potuiſſet: Ideo totum DURÆI negocium nobis ſuſpectum, Concordiæ impetrandæ ſpes adhuc omnino dubia, quin & opera noſtra, cum illo ulterius tractandi, inutilis & ſupervacanea futura videbatur, Nosq; propterea ipſum DURÆUM opinione conſequendi, quod utrinq; ſperabatur, diutius putavimus non eſſe ſuſpendendum; facto tamen primùm ad illum DIMISSORIO, uti vocat ipſe in *Conſignat: ſumm. capp. pag. B. 2. fac. 2.*. Id quod in hunc ferè ſenſum pronunciavit Reverendiſſiimus Dn: Archiepiſcopus 11. die Julii æſtatis elapſæ: *Quod videlicet, licet ſpes nobis hactenus fuerat futurum ut quemadmodum pacem politicam & civilem cum Reformatis in Britanniâ colimus: ita quoq; ſpiritualis & Eccleſiaſti-*

ca pax

ca pax inter Nos sanciretur: cujus rei periculū, institutâ quâdā velitatione, præcedenti die fecimus. Verū quia clarissimus D. Duræus, *neq; in processu â nobis instituto manere, neq; ad propositas quæstiones de articulis quibusdā, fidem & salutē concernentibus directè respondere voluit, ita ut expressus de veritate consensus nobis innotesceret: sed varias ambages & multiplices modos procedendi, Analysandi, interprætandi, ex præmissis & concessis inferendi quæsiverat, quibus veritas magis labefactata quàm illustrata fuit. Itaq; hoc Colloquiū vel inviti abrumpere cogimur: Rē totā divinæ clementiæ deinceps committentes, ipsiusq; Majestatē ex toto corde rogantes, ut nos in agnitâ veritate cœlesti & salvificâ in finem usq; clementer conservare, reliquam vero partem spiritu sancto illuminare dignetur, ut veritatem in verbo Dei expressam tandem agnoscant & amplectantur, & non tantum in hac vitâ temporali, sed etiā in futurâ cælesti & æternâ concordiâ & communione nobiscum perfruantur. Interim autem, dum hæc res Deo & Diei committitur, quod si* Duræus *in incepto pacificationis negotio pergere voluerit, hac & non aliâ viâ nos illud succedere posse arbitramur: Ut videlicet Reformati dent Deo gloriam, & retractatis manifestis erroribus fundamentalibus, iisq; damnatis, ipsam veritatem Evangelicam in verbo Dei, tribus Ecclesiæ symbolis, & invariatâ Confessione Augustanâ expressam sincerè & orthodoxè nobiscū agnoscant, stylū & lingvam ad hypotyposin sanorū verborū accommodent, & hujus suæ sive Confessionis sive veræ conversionis symbolū aliquod edant, & publicam Confessionem conscribant, in eamq; omnes Reformati, & inter sese conveniant. Quæ Confessio si talis fuerit, quam nos non tantum, sed & Theologi in Germania Daniâ, &c. Salvâ conscientia approbare possimus, speramus utiq; futurum esse, ut in exoptatam illam utrinq; spiritualem fraternitatem & concordiam tandem coalescere possimus. Cujus rei si nos etiam vel socii vel promotores fieri poteriemus, nunquā erimus huic operi defuturi.* Er hæc sunt quæ inter Nos & DURÆUM hactenus fuerunt pertractata. Cum autem videamus, quod DURÆUS confecto suo negotio, auditâq; de illo nostrâ sententiâ, in hac urbe adhuc

hæreat

hæreat, ſcriptoq; ſuo evulgato, pleraq; quæ inter nos acta ſunt in deteriorem partem interpretetur, quædam malâ fide referat, quæſtiones de fundamentalibus articulis ventilatas, *particulares opiniones, doctrinæ capita, & dubia in tractando incidentia* appellet: *Nec media eſſe* putet, *quib⁹ ad aliquā concordiā deveniri poſſit: Hiſce ad poſtulata ſua Theologica, accuratiorem rei tractationem*, ùt ipſe arbitratur, *concernentia nihil diſtinctè aut directè reſponſum* fuiſſe ſcribat: Quin *& à ſcopo Concordiæ & rei veritate aliena* eſſe judicet: Et hæc convitia in chartas ſuas aculeatas conjicienda eſſe cenſuerit, *in Conſignat. ſumm: capp. pag. B.2. fac.2.* Quia ſcilicet declarata â nobis Dn. DURÆO jam per biennium ferè, quæ potuimus humanitatis officia talem ab illo gratiam promeruiſſe videbantur! Nos pro humanitate noſtrâ hæc miſſa facienda ſuoq; loco relinquenda eſſe ſtatuimus, ſuo tempore, datâq; occaſione, qualem nobis perſuadere velit cum Reformatis Concordiam DURÆUS, ex ipſius ad nos manuſcriptis aliiſq; hujus rei documentis, ſi fortè viſum fuerit neceſſarium, oſtenſuri omniumq oculis expoſituri.

VI. Ad Lectorem admonitio.

VI. Te interim, amice Lector, per tuum Candorem & pietatē obteſtamur, ne nos alios ve ſincerè Evangelicos Theologos ita vel publicæ privatæq; ſalutis prodigos, vel â pacis ſtudio alienos, ita feros imanes aut adamantinos eſſe credas, ut ſine lachrimis & gemitu contritionē Joſephi & Europæ fatiſcentis & undiquâq; rimas agentis ſtatum intueamur, qui Concordiam Evangelicis invideamus, qui diſſidiorum faces accendamus, aut qui accenſas jam & nimium quantum ardentes fovere magis ac frigidam ſuffundere, quàm ſopire & compeſcere ſtudeamus. Etenim pacem, novit Deus, & Concordiam omni animi ardore deſideramus & quærimus: Sed Concordiam non qualem, converſis inter ſe caudis non capitibus, junxerunt vulpeculæ Samſonis Judic. 15.4. & 5. Verum Evangelicam, uno veritatis ſpiritu calentem, uno

pieta-

pietatis vinculo ligatam, uno charitatis fœdere confirmatam, unoq; confessionis Evangelicæ Symbolo connexam. Cujus nostri voti declarationem promultis subministrabit tibi, vel unicũ illud, quod loquitur Apostolus & Doctor gentium Rom. 12. 18. SI FIERI POSSIT inquiens, & QUANTUM IN VOBIS EST, servate pacẽ cũ omnibus hominibus. Præcipiens quidem pacem omni studio sectandam esse, sed & manifeste subinnuens, FIERI INTERDUM NON POSSE, & aliquando in NOSTRA POTESTATE non esse, ut pacẽ cum aliis servemus. Etenim fieri non posse censendum est, quod piè, quod justè, quod honestè, quod salva Dei gloria, inviolata veritate, & illæsâ conscientia fieri nequit. Quæ verba sunt HUTTERI nostri in præfat. ad suum Irenicum.

Votum. Et hæc sunt Candide & amice Lector, de quibus te informandum esse duximus. Tu hisce Deo commendatus, bene & feliciter vale, ejusq; divinam majestatem nobiscum precare, pro pace Hierusalem, ut prosperentur diligentes domum Domini, & sit pax intra muros ejus, & prosperitas in palatiis ejus Psal. 122. 6. & 7. Quod etiam faxit ipse Deus pacis, Pater, filius, & spiritus sanctus, qui est Deus in secula Benedictus, Amen. Dabamus Holmiæ in Conventu Comitiorum 6. Iduum Februarij Anno Supra millesimum sexcentesimum & trigesimum Octavo.



Case
Wing
folio
Z
144
.A1
v.1
no. 41

THE NEWBERRY LIBRARY